Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3015
Quelle:
Copyright:

rarii ſed Compactoris eſt, qui membranas perturbavit. Itaque finis *Sequentiae*, quam ultimam recenſui, *fol.* 4. p. 1. quaerendus eſt. Omnes porro hic contentas *Sequentias*, exceptis de *Johanne Evang.* de *Circumciſione*, de *Purificatione*, et de *M. Magdalena*, habent etiam *Codices* a Celſ. *Gerberto* loco *ſuprac.* adducti, ubi de toto hoc Ιερομωσικης genere erudita, ut ſolet, ubertate pertractat. Autor earum *Notkerus* dictus *Balbulus* S. *Galli* Monachus, defunctus an. 912. In ejus tamen *Collectione* a Cl. *Pezio* T. I. *Theſ. Anecd. col.* 18. vulgatá noſtras *Feriae* III. V. et *Octavae Paſchatis*, item *Septuageſimae* et de *M. Magdalena* non invenio. Voces illae Titulis additae: *Ypodiaconica* vel *Ypodiaconiſſa*, *Romana*, *Frigdola*, *Aurea*, *Vox Exultationis* modulationis tonos diverſos indicant. Adi de iis *Ducangium* v. *Frigdorae*, ubi adducitur *Lambecius ſupracit.* Sed nempe addi debent: *Captiva*, *Occidentana*, *Concordia*, *Mater* et *Greca*, quas hic omiſit.

DCCCXXX.

685 Codex membraneus lat. Sec. X. Fol. 227. 4. non ab una manu, luculente tamen potiſſimum exaratus et rubricis diſtinctus, *Liturgicus* eſt, complectiturque ſequentia: I. Formulas quatuor oblationis, quarum prima: *Tibi domino creatori meo offero hoſtiam placationis pro delicto meo. peto domine ut des mihi ueniam omnium peccatorum.* Hymnum Angelicum, Symbolum Apoſt. Triſagion et *Agnus Dei* graece, ſed literis latinis, ita: *Doxa en ipſiſtis theo kepigis ireni enantropis* &c. Orationes et Lectiones *In Sabbato Sancto Paſchae*, verum indicatis tantum initiis, Hymnum graecolatinum, cujus initium: *Kyrie otheos critis dicheos yſkiros keathanatos ymas eleyſon kirie eleyſon. O pater alme ſedens ſuper alas cherubim ac ſeraphim* &c. Ita deinceps ad Filium et Spiritum S. intercalari ſemper *kyrie eleyſon*, Hymnum angelicum latine, *Item In Angelicum Carmen* Intercalaria quaedam. Atque haec omnia notis muſicis inſignita. De ejusmodi Doxologiis, Hymnisque triumphalibus agit Celſ. *Gerbertus* L. I. *de Cantu et Muſica S.* c. 1. et 2. item L. II. P. I. c. 4. et alibi, noſtro etiam hoc Codice uſus. *Fol.* 4. p. 2. ſequuntur Verſiculi de X. *Plagis Aegypti*, quae in titulo *Duodecim* inſcribuntur, hoc initio:

Prima plaga egipti limphas in ſanguine uertit &c.

et de *Septem Diebus In Quibus Cuncta Creata ſunt*, hoc initio:

Primus in orbe dies lucis primordia ſumpſit &c.

Et